

# CHRISTVS CA,

PRIVVS IN HORTO, CARMINE HE-

roico Reuerendo ac nobili Domino D. Iosepho

à Dorndorff & Biskupovv, Abbati

Cladrubensi dedicatus.

à

MICHAEA VBISERO  
SILESIO.



Adiecta est Lamentatio de morte Christi, ad  
eundem scripta, eodem  
authore.

ES AIAE 53.

Verè languores nostros ipse tulit, & dolores no-  
stros ipse portauit.

Ipse vulneratus est, propter iniquitates nostras,  
attritus est propter scelera nostra.



M. D. LXXIII.

## DEDICATIO LABORIS.

**A**ccipe placato Præsul clarissime vultu,  
Quæ tibi de sterili carmina dantur agro.  
Illa quidem, Bruma quia nata rigente, fatemur  
Non benè frigidulos posse mouere pedes.  
**A**speritas byemis culpanda, rigorq; niualis,  
Qui fecit venam sæpe rigere meam.  
Sed, quia sacra, queunt veniam fortasse mereri,  
Scripta licet culto sint minus illa stylo.  
Post vbi læta suos æstas renouauerit ortus,  
Et fuerint campi culta sat arua mei:  
Messe secutura forsan meliora dabuntur,  
Atq; magis tanto carmina digna viro.  
Interea, te digna feras dum dona, clientem  
Commendo fidei me Reuerende tuæ.  
Tu me pro solito non auersare fauore:  
Omnia sic tota sint tibi salua domo.

Ex monasterio Teplensi decimo Martij:

Michæas Vbiserus,  
Conuentus Teplensis Pa-  
dagogus.



# CHRISTVS CAPTIVVS

in horto.

**Q**uis mihi nunc largis rorantia lumina guttis  
Humeat, miseri crudelia vincula Christi  
Dum meditor, versoq; graues sub corde dolores  
Sollicito, diasq; preces, guttasq; cruentas,  
Quas video largis diuino è pectore riuis  
Manare, atq; omnem circum (miserabile) terram  
Vbertim fluere? in largos quis lumina fletus,  
Talia conspicens, non soluat, et ægra dolore  
Corda gerens, CHRISTI sortem indignetur iniquam?  
Tu mecum spaciose orbis, tu machina cœli  
Stelligeri, lacubus vos liquida stagna profundis:  
Vos fontes, amnesq; sonori, & flumina rauca  
Lugete, & tristes in fletum ducite voces,  
Et mecum miserata graues versate dolores  
Insontis Christi, exitio se exponit acerbo  
Dum sponte, atq; in vincla suis depositur arcta  
Innocuus, querulum raptatur & ante tribunal.  
Christus vbi vescas, Cerealia munera, fruges,  
Et puros latices socios partitus in omnes  
Iam fuerat, cinctusq; albis mantilibus, illis  
Ablueratq; pedes, monitisq; implerat amicis:  
Ecce animo certus pudibundam occumbere mortem,  
Qua nobis clausi limen referaret Olympi,  
Et demum læsi placaret numina patris,  
Egreditur sera sub nocte, hortensia culta  
Impavidusq; petit, caris stipatus alumnis.  
Huc vbi iam ventum, tristi mæstissimus ore  
Mox heros procumbit humi, genibusq; volutus,  
Sic breuiter supera aspectans conuxa precatur,

Alme

Alme pater, natum sic ne auersaris, ut illum  
Pro quoq; tantos iubeas perferre dolores,  
Et tristem subijse necem, supremaq; fata.  
Quin age care pater, tibi si sic certa voluntas,  
(Sin minus, est æquum tibi me parere, vocaris  
Quo me cunq; adero, quamuis sint mille labores,  
Mille neces nobis, & mille pericla ferenda)  
Me miserare leua, atq; instantibus eripe fatis  
Incolumem, & tristi da natum euadere morti.  
Hæc vbi ter pauitanti heros repetuerat ore  
Sollicitus, se tollit humo, mœstusq; resurgit.  
Ecce autem trepidos lubitus tremor alligat artus  
Heroi, mutatq; ingentes pectore curas  
Nunc hue nunc illuc, tremulis vox faucibus hæret,  
Atq; cruentatæ diuino è corpore guttae  
Vbertim stillant, humectantq; vndiq; circum  
Gramina: iamq; animam vix heros duceret ægram,  
Ali ger ætherea nisi missus ab arce minister  
Auxilio, mentem curis reuocasset ab æctis,  
Aegraq; sollicito soluisset corda timore.  
Eheu nate Dei, tantis te sponte periclis  
Immisces, tantos voluisti ferre dolores  
Innocuus pro quoquam hominū, quos lubricus error  
In scelus omne trahit, nunq; tua iussa secutos?  
Ah pietas, ah sancta fides, clementia summa,  
Ah patris ætherei, qui nos de faucibus Orci  
Ut raperet, summo & saluos inferret Olympo,  
Non voluit proprio pro nobis parcere nato.  
Ah pietas, ah sancta fides, ah gratia summa  
Ah amor, & rigidi clementia maxima iuris.  
Nos omnes Stygiæ expectabant stagna paludis,  
Aeterniq; reos nigris fornacibus ignes:

Tu

Tu mortale genus cœlo miseratus ab alto  
Eripis, & patria superi dignaris Olympi.  
Quæ tibi sat dignis pangat prœconia verbis  
Pro tantis genus humanum meritisq; bonisq;  
Alme Pater, cuius non vlla gratia meta  
Clauditur, & terra, & Iupero se pandit Olympo:  
Verum dum cœlum, vasti dum machina mundi  
Durabit, merita nobis memorabere fama,  
Clarefcetq; tuum ventura in secula nomen.  
Interea in sua se Iudas collegerat arma  
Efferus, & dictis trepidos animararat amicis,  
Quos sibi tam diri locios adiunxerat ausi:  
Iamq; sibi infestum læta spe præcipit hostem.  
Ah quid agis malelane, ruis quò sponte, reflecke  
Audaces velane gradus, ah culmine quali  
Præcipitas, & in exitium te mittis apertum?  
Hæc ne tui pietas tibi suasit amica Magistri,  
Quem tot prodigijs, tot apertis deniq; signis,  
Vidisti certè manifesto numine ferri?  
Verum non vlo vadis reuocabilis ore:  
Mox tibi tempus erit, magno cum optaueris emptum  
Intactum heroa, & cum iam facta ista, diemq;  
Oderis, & furijs mentem stimulabere diris.  
Et iam saeva cohors instructis ibat in armis  
Sacrilego Ductore Iuda, loca no:aq; ( namq; is  
Sæpe etiam viridem Christo comes ibat in hortum,  
Et dulcem vulnu mendax simulabat amorem )  
Præcipiti peti alta gradu, Christoq; propinquat.  
Quo granis armorum strepitus, populiq; furentis  
Aduolat clypeata leges, iaculisq; cruentis  
Armata, & lato crispanis hastilia ferro?  
Quò ruitis, quem vos petitis? Iam sistite gressus

A iii Audaces

Audaces, superi est loboles & quaque parentis  
Quem petitis ferro, audaces reflectite gressus:  
Ah non est tutum ferro tentare Tonantem.  
Quin in sacrilegum potius tanta arma Sinonem  
Vertite, & insolenti crudeles parcite Christo,  
Qui vobis certam venit reparare salutem.  
Ah vobis quantum una dies, quantum unius in  
Exitij tulit, & generi est latura futuro.  
Scilicet ex illo caput sublapia referri  
In peius res imperij, tutataq; vobis  
Libertas, tot iam reuolutis ordine lustris,  
Ah pudor, Aulonijs cœpit teruire Tyrannis.  
Venerat instructis in culta hortensiæ telis  
Dira choros, primas præeunte Sinone phalangas.  
Cum procul his fidens animi, impavidusq; Ierono  
Sese ostendit heros vultu, & cum etanib; in te.  
Quò se arma hac vertunt, horro quem queritis isto?  
Ante hæc an magna vobis non visus in virbe  
Sæpè fui, tacita quò nunc hæc agmina nocte.  
Ecce autem his quamvis possem me exoluere turbis  
Incolorem (michi nec pater est qui sydera torquet  
Nequicq;) elabiq; fuga arq; exire periculum,  
Desuper Angelica me præopugnante phalange,  
Nolo tamen, quoniam genitor non mollibus virget  
Ne iussis: clavum sic stat recludere cœlum  
Humano generi: in me omnes conuertite vires:  
Arripite, arreptumq; arctis constringite vincis,  
Hi tantum qui me per cuncta extrema sequentur  
Dilecti comites, fidissima pectora nobis,  
Incolumes abeant. Sic se bis prodidit heros  
Obiecitq; hosti impavidus, cum protinus omnis  
In terram legio magno ruit acta fragore,

Dant

Dant super arma sonus, atq; hinc atq; inde per agros  
Sparsa micant, clypeiq; graues, hastaeq; cruentæ,  
Cum facibusq; enses, verbo tam magna fuit vis.  
Iamq; oculis captis similis, vinoq; sepultis  
Tollit humo se dita cohors, heroaq; densis  
Circumfutum armis in vincula poscit iniqua.  
Ah sic quem Stygijs venisti soluere vinclis  
Nate Dei, indignis populo constringere vinclis:  
Non impune tamen, nam olim venientibus annis,  
Ausonio sua colla iugo, durisq; cathenis  
Constringenda dedit, quâ nulla nulla exire potestas.  
Vidit & ex imo sua diruta mœnia fundo  
In cineres retulata leues, fundoq; cremacum  
Egregium Salomonis opus, sub sydera molem  
Educatam ingentem, atq; argento, auroq; superbam,  
Murorum ingentesq; minas, ciuesq; pudendo  
Damnari exilio, & Latijs feruite Tyrannis.  
Te verò te nate Dei, te dulcis Iesu  
Per tua vincla precor, per quicquid passus accibi es,  
Et per sanguineas afflictio epector guttas,  
Sit vatis tibi cura tui, qui fidere regnis  
Omne tuis audet, proprijs desperat & aesis,  
Per tua Tartareaas fugiamus vincla cathenas,  
Perq; tuas guttas, misto quis membra cruento  
Stillabant, curasq; graues, gelidumq; tremorem  
Nobis perperuæ contingant gaudia vita.  
Da bontis, ut summi non mollia iussa parentis,  
Et detestandos libasti sponte labores  
Agni instar, caræ qui raptus ab ubere matris  
Thuricremas tuitis ferro maestatur ad aras,  
Ut mundo amissa reparares dona salutis,  
Ereptumq; hominem picea Phlegetonis abvnda

Inferres patriæ æternę, cœloq; locares,  
Sydereos inter proceres, cœtusq; beatos.  
Haud quoq; nos aliter tua dulcia iussa sequamur,  
Ne uitij meritat te conimoueamus ad iram.  
Da guttas sub corde tuas, tristesq; dolores,  
Atq; ignominiam, & læuæ ludibria gentis  
Et spinas, & pocla atro perfusa veneno,  
Perfossumq; latus, plantasq; manusq; dolatas  
Versemus, gratiæq; tibi inueniamur alumni.  
Ut sic cum nexos mors ultima soluerit artus,  
Per te tranquillæ defunctos munere vitæ  
Elysij nos templa soli, & stellantia regna  
Accipiant superum, cœloq; locemur aucto,  
Quod tu delecto referasti vicer Auerno.

### LAMENTATIO DE MOR- te Christi.

**S**i cui non duræ præcordia ferrea cautes  
Obducunt, posit largos ut fundere fletus,  
Tristiaq; afflictio suspiria ducere corde,  
Huc age, tristificos, hic pendet ab arbore, fletus  
Qui mouet, ille hominum, lapsiq; redemptio mundi,  
Ille Deus, Deus ille, alti quem machina cœli  
Non capit, & vasti regnis qui præsidet orbis:  
Ille opifex rerum, vastus quas continet orbis,  
Et mare veliuolum refluis complectitur vndis,  
Et quicquid motis te librat in aera pennis.  
Ille inquam magni dominator & arbiter orbis  
Ecce cruentatis dependet ab arbore membris.  
Heu scelus indignum, & vitam diffundit in auras.  
Quem non tam miseræ moueant spectacula mortis,

Cui

Cui non excutiant largos è pectore fletus?  
Ah dolor, ah illum cautes sub corde rigentes,  
Saxaq; dura putem gerere: Ah miserabile corpus  
A spicite, atq; oculos suprema in morte natantes,  
Traiectasq; ambas crudelis cuspide plantas,  
Squallentesq; manus, taboq; fluentia crura.  
Quem non tam miseræ moueant spectacula mortis?  
Ah pudor, ah generis præcordia ferrea nostri.  
Sol, qui sydereos curru perlabitur orbes,  
Ipse suos etiam testatus ab axe dolores,  
Obducens roseos picea ferrugine vultus  
Subduxit terris, & inhorruit æthra tenebris  
Horrendis, tellusq; graui concussa fragore  
Est audita queri, tristes & murmure fletus  
Testari, & pontus querulis horre scere ventis  
Visus, & ingentes ad sydera tollere fluctus,  
Cunctaq; defuncto doluere elementa Magistro.  
Et nos, quos propter tantos tulit ille dolores,  
Infelix genus, & Stygijs gens debita monstris,  
Atq; invisa Deo, lacrymas retinemus amaras,  
Et nullös tristi profitemur fronte dolores.  
Ah pudor, ah cunctis scelus execrabilis seclis:  
Sed potius multoducentes pocula luxu  
In noctem Cereri Bromioq; vacamus inertes,  
Et detestandos Veneris sectamur amores,  
Nec saluatoris lethum versamus acerbum  
Heu malè grata Deo malefidaq; turba Tonanti  
Ferrea non rigidæ tangunt præcordia spine,  
Circumeunt caput implicitæ quo more coronæ  
Liuentemq; atro percurrunt stigmate frontem,  
Perfossumq; latus, multoq; cruore rubentes  
Cum manibus plantas, nil ne horum flectere duras

Ferrea gens poterit mentes, uisuq; mouere?  
Heu male grata tuo male fidaq; turba Tonanti.  
Ah tua præduras præcordia vincere cautes,  
Funere quæ curas Domini testantur amaras,  
Dum fissæ horrendumq; crepant, fundoq; mouentur  
Eximo, fletq; ipsa suum vaga Luna magistrum,  
Nocte sub obscura piceis obducta tenebris.  
Phœbus & astrigero ferrugine tectus in axe  
Subducit solitos ægris mortalibus ignes.  
Eloquere, hoc lapio quid maius munere mundo  
Quid poterat meritis contingere dignius istis?  
Quam qui par patri Deitate, & quæ uus & ipsi  
Astra gubernabat, solioq; locatus auito  
Coelitibus sua iura dabat, demittere fese  
Attamen, & patrio cognatae stirpis amore  
Non tantum spretas serui sub imagine terras  
Visere, sed diræ se vltro submittere morti  
Insuper, vt picea raptum Phlegetontis ab vnda  
Te dudum amissæ donaret munere vitæ,  
Inferretq; astris, regnoq; locaret auito.  
At non ingratam tangunt hæc munera mentem.  
Ah ingrata tuo malefidaq; turba Tonanti.  
Cernis vt expalsis complecti gestiat vlnis  
Ingratos, dulcemq; oculis diffundat amorem.  
Quid si non tales voluisset in orbe dolores  
Sponte subire, suaq; tuam non morte salutem  
Pensare, & Sathanæ rigidis exoluere vinclis,  
Et Phlegetontæ tenebris reuocare gehennæ;  
Quæ non Tartareis te tristia fata lacunis  
Mansissent, qui non tristes sine fine dolores,  
Aeternis Orci in tenebris, flammaq; gehennæ  
Quis nunc crepus, CHRISTO moriente, salutem

Amissam

Amissam recipis, cœloq; locaris aucto.  
Nil poterunt ne tuas hæc munera flectere mentes?  
Ah si quis precibus restat locus: exue mentem  
Ingratam, immemoremq; tui, immemoremq; salutis,  
Et sortem perpende tuam, perpende labores  
Quis Deus amissæ reparauit munera vitæ.  
Cernis ut ærata reclusum cuspidे pectus  
Purpureas exudet aquas, mistumq; cruentem  
Stillet, & abiectas vberim humectet arenas?  
Cede salutiferum cui vis est cognita florum,  
Dulcia qui varijs misces medicamina succis,  
Aegrotis fessas raro quæ reddere vires,  
Et possunt tristes homini depellere morbos.  
Hic sunt internos tollentia Pharmaca morbos,  
Quæ menti turpes valeant exurere labes.  
Huc age cui varijs sunt anxia pectora curis,  
Quem premit antiqui labes innata parentis,  
Hauriat ut certum CHRISTI de vulnere succum,  
Qui foedo morbos è pectori diluat omnes,  
Atq; animæ reuocet fessas in pristina vires.  
Cernis ut inclinet fessum caput, ægraq; flectat  
Colla? tibi pronis sic porrigit oscula labris.  
Quæ te nunc segnem mora detinet? offer amico  
Ora Deo, atq; audis CHRISTVM cōprende lacertis.  
Sic tua posthabitatis intrabit pectora templis  
Mitis, & amplexu non diuelletur amico,  
Dum tibi corporeis exuto deniq; vinclis,  
Post tot in immundo superatos orbe labores,  
Sub pedibus calcanda yagis florentia stellis  
Regna det, & meritæ decoret te flore coronæ.

Egræ excudebant Johannes Bürger &  
Michaël Mülmarckart.

Et quod excepimus in genere magna  
Magna et magnificans

Postea quod invenimus in genere magna  
Invenimus et invenimus et invenimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus

Quod excepimus in genere magna  
Excepimus et excepimus et excepimus